



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Acta Synodalia Dioecesana Ecclesiae Mediolanensis, Pars Secunda

Borromeo, Carlo

Brixiae, 1603

Decretum. XXXI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11399

Prou. 1. p. 3.
de cler. vest.
&c. pag. 18.

diœcesis locis eò venerint, quò peruenire contendunt; etiam si locus is non sit in nostræ diœcesis finibus, talarem togâ atque adeo alias vestes ita induant, vt prouinciali Concilio de clericali habitu, nostrisq; literis aliâ edictum est.

Cum autem vel itlneris, vel cœli grauitate, vel capitis morbo, vel per pluuias, aliave causâ illos pileo vri oportet; is eiusmodi sit, qui à militaris pilei formâ distans, non turbinis speciem præferat, sed talis denique sit, qui ordinis clericalis hominem deceat.

Decretum. XXX.

Explicatio
decreti de
sacerdotali
mensa in fe-
storum cele-
britate.
Prou. 1. p. 2.
de armis lu-
dis.

ET quoniam prouinciali nostro Concilio vetitum est, quo tẽpore vel sacrorum, vel exequiarum causâ in vnum clericum congregantur, ad mensam non plures quàm sex, eosque clericos adhiberi: id quoniam non facile in nostra diœcesi locum habere potest, cum Ecclesiæ ferè vniuersæ longius inter se distent, graueque esse possit clericis de itinere fessis mane eodem die ad Ecclesiam suam redire; id propterea licere volumus parcho tot conuiuias in mensa habere, quot ex Vicarij Foranei facultate sibi permisum erit: modò tamen nè in ijs ipsis vllus homo laicus sit; illudq; præterea seruetur, quod in parochialibus conuentibus de frugali sacerdotaliq; modestia à nobis præscriptum est; & sacra item lectio in mensa perpetuò adhibeatur.

Ibid. de vic.
for.

Decretum. XXXI.

Explicatio
decreti de
canonicali-
bus ædibus.
Ibid. de cle-
rical. ædib.
pag. 19.

QVOD prouinciali nostro Concilio de Canonicali item ædium vsu & habitatione decreuimus; id locum etiam habere declaramus in illis Canonicalibus ædibus, quæ ad Canonicorum domicilium constitutæ, vel in emphyteosim datæ sunt, vel pignori hypothecæ ve tenentur, ob sumptus qui à conductore in illis faciendis aut restituendis facti sunt; modò tamen eiusmodi ædes in Canonicalis domicilij ambitu sint.

Explicatio
decreti de
ijs quæ in fe-
retro adhi-
bent. prou. 1
de fun. pag.
35.

Decretum. XXXII.

QVOD nostra constitutione, quâ prouinciali Concilio confecimus, de ijs quæ in feretro & in efferendis mortuis

adhibentur, decreuimus; in eo decreto conficiendo animi nostri sensum eum fuisse declaramus, vt nihil eo ipso decreto illis parochialibus Ecclesijs, vnde mortui aliò efferuntur, ademptum atque detractum esse velimus de ea canonica portione, quæ illis vel iure vel consuetudine debeat.

Decretum. XXXIII.

QVOD de cruce in funere ferenda nostro Prouinciali Concilio constitutum his verbis, VT ALIÆ CRUCES IN FUNERE NON DEFERANTUR, NISI QVAS SVVS QVANTVÆ CLERVS SVBSEQVATVR; quoniam à plerisque aliquando quæsitum est, an illius decreti auctoritate, Ecclesijs etiam non collegiatis, sacerdotes tamen & clericos aliquot habitibus, in eo funeris officio cruce proptiz vri liceat; nè in posterum ea res controuersa sit, neve inde vlla existat quæstio, hoc Synodali decreto mentis nostræ sensum ita exprimendum censuimus, vt de Collegiatis solum Ecclesijs, neque de vllis præterea alijs, illa prouinciali nostra constitutione sancitum esse declaremus; idque ita planè à nobis expressum, sine vlla controuersia seruari iubemus.

Explicatio
decreti de
cruce in fu-
nere ferenda.
prou. 1. vlt.
§. singulari.

Decretum. XXXIII.

CVM ad nos delatum sit, nonnullas moniales, quæ conuersæ vocantur, in ipsis Monasterij septis habitantes, quæ item professionem confecerunt, eas è Monasterij sui finibus ad funus prodire, idque sit contra Summi Pontificis Pij Quinti constitutionem, quæ est de clausura Monialium; nos propterea vt huic rei occurramus, illud ijs ad quos ea funeris cura pertinet, edicimus, vt ne eas in funere esse patiantur, sed in Monasteriũ ipsas redire curent. Quòd si redire neglexerint, recusarint; illarum nomina ad nos deferant, vt rationem aliquam ineamus de ipsis in Monasterio retinendis & puniendis: id quod ipsius Pontificis constitutione sancitum est.

Conuersæ
moniales ad
funus ne p-
deant.

Parochi præterea & alij funerum curatores in eo etiam vel summam diligen-
tiam